DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ENTERITIDE.

9

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE

ENTERITIDE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS USHER McDONALD,
Hibernus.

"*Hic enim breve spatium est, intra quod, si auxilium*
"*non profuit, æger extinguitur.*"

CELSUS.

Calendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT JACOBUS NEILL.
MDCCCXIX.

PATRI DILECTISSIMO,

ET

AMICORUM OPTIMO,

JACOBO M^{C}DONALD,

CHIRURGO,

APUD CRUMLIN

IN COMITATU DE ANTRIM;

CUJUS SUB TUTELA

MEDICINÆ PRIMUM INCUBUIT,

ET A QUO TAM MULTA MONITA ACCEPIT;

MORUM BENIGNITATE,

OMNIBUSQUE ETIAM VIRTUTIBUS,

QUÆ

VITAM ÆQUE PUBLICAM, AC PRIVATAM EXORNANT

CONSPICUO.

HASCE STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS,

AMORIS SUMMI, ET PIETATIS,

PRO

CURA PATERNA SEMPER IN EUM COLLATA,

PIGNUS,

D. D. C.QUE

THOMAS USHER M^{c}DONALD.

NECNON,

COGNATO SUO CARISSIMO,

GEORGIO ROE, M. D.

COLL. REG. CHIR. EBLAN. LICEN.

ET

NOSOCOMII DE CAVAN,

CHIRURGO,

OMNI DOCTRINA LIBERALI EGREGIE

EXCULTO;

PROPTER CONSILIA, ALIAQUE PLURIMA OFFICIA,

QUÆ SEMPER LIBERRIME IN EUM CONTULIT,

ET

CUJUS AMICITIAM, NUNQUAM SIBI OBLIVISCENDAM,

PALAM LUBENTISSIME PRÆDICAT,

QUAMQUE,

UT SEMPER MEREATUR, ACERRIME CONTENDET;

HANC DISSERTATIONEM

OBSERVANTIÆ MAXIMÆ, GRATISSIMIQUE ANIMI,

TESTIMONIUM,

PERTENUE SED TAMEN SINCERUM,

OFFERT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ENTERITIDE.

PROŒMIUM

In hoc opusculo, ut inter leges hujus Academiæ merito laudatæ præscriptum est, ut omnes qui Doctoris Gradum ambiunt, exemplum, si non doctrinæ, saltem diligentiæ et peritiæ in rebus medicis, judicio eruditorum subjiciant, et quoddam specimen inaugurale proferant, solum mihimet proposui, concisam, et quantum potero accuratam, historiam tradere, de ea gravi inflammatione, quæ apud Medicos Enteritis nominatur, et ex variis remediis, ea, et medendi rationem, quæ me judice ad eventum fatalem præcavendum, et ad morbum sanandum plurimum operæ conferre videantur, ostendere. Quoniam pleraque ejus signa tam perspicue quondam explicata sunt, ut in hujus

modi dissertatione nihil novi expectandum sit. Hoc argumentum selegi, quia pauci morbi acuti celeriorem necem ægrotantibus intentant quam inflammatio ventriculi et intestinorum, nulli porro magis insidiantur, sæpiusve spem et opinionem medicorum frustrant. Nos igitur decet, et etiam ob frequentiam et magnam vim morbi exitialem, sedulissima mente hoc malum studere, et quicquid utile, novum, vel non universe notum, proferre. Morbus est periculosissimus, semperque medicum utcunque solertem territare debet. Plerumque spatio temporis exiguo ad sanitatem vel exitum funestum festinat, hac ratione remediis efficacissimis nunquam non ab initio morbi uti opus est.

DE DEFINITIONE.

In clari Culleni Nosologia methodica Enteritis in classe pyrexiarum, et ordine phlegmasiarum ponitur, et his verbis definitur: "Pyrexia typhodes, dolor abdominis pungens, tendens, circa umbilicum torquens; vomitus, alvus pertinaciter stricta." Hæc verba satis lucide definiunt; tamen vires in hoc morbo non semper dilabuntur, vero interdum arteriæ valde commo-

ventur, et validissime micant. Præstat igitur, secundum præceptoris mei celeberrimi Doctoris Gregory, prælectiones his dictis uti: "Pyrexia "plerumque typhodes," &c. Enteritis in duas species nempe phlegmonodeam et erythematicam dividitur; illa in tunica nervosa classis serosæ membranæ inflammationi adhæsivæ obnoxia sedem habet; huic tunica intestinorum villosa situm præbet, classis est mucosæ, ideoque ulcerativæ inflammationi exposita evadit. De enteritide phlegmonodea igitur pauca disserere progrediar; altera raro ipsa per se adest; sed morbus symptomaticus est, et aliis morbis ortum ducere reperitur.

HISTORIA MORBI.

In regionibus frigidis sæpius quam æstuosis, et hyeme sæpius quam æstate, hic morbus occurrit, nulla eo ætas immunitatem habere videtur, sed maxime adultos adoritur, ejus indiciis fere constans est, præcedunt plerumque colica et obstipatio, ægerque ei non attentionem tribuit; is enim colicam spasmodicam esse existimans, stimulantes ad dolorem mitigandum haud raro assumere impellitur.

Incipit ex dolore in quadam parte abdominis, modo supra, modo infra, sed sæpius circa umbilicum, quia ibi sita est major pars intestini jejuni et ilii, quæ huic morbo maxime obnoxia sunt; angoris et torsionis sensus eo comitatur, venter tumidus evadit, ob intestina ipsa inflammatione, spirituque ampliata, et tactum refugit; dolor multum pressura, alte inspirando, tussiendo, posituque erecto intenditur, quæ quidem unica persæpe medicum hunc morbum non colicam subesse docet; corpus itaque quodammodo inclinatur, ad musculos, abdominis relaxandos, et pressuræ vim diminuendum. Obstipatio quæ consequitur ita pertinax est, ut sæpe medicamentis acerrimis resistit. Infelix cibos fastidit, et sumptos non vasto cruciatu evomit; si ineunte morbo incipiat remediis internis adhibendis, ideoque malo sanando multum obstat. Initio rigor et horror alternant cum calore; nunc cutis ardens et arida est; depressio virium magna; facies erubescit; os et fauces inarescunt; lingua sicca et sordida; sitis et anxietas maxima urgent; omnia secernenda et excernenda, uti aliis partibus inflammatis pene reprimuntur; urina parca, rufa, et difficulter, aut non omnino fluit, quod jam notavi. Respiratio est difficilis, et æger crebrius

spirat, quia dolor diaphragmatis descensu magnopere augetur, igitur haud plene et perfecte pectus ampliari potest. Pulsus arteriarum parvus est et filo similis, plerumque durus, fere justo celerior; singultus adest, et crudum alimentum ejicitur, postea materia biliosa. Interdum musculi abdominis violenter et inæqualiter contrahuntur, ut globis in sacculo assimilari videantur, sed hæ equidem notæ colicæ sæpius accedunt.

Inter processum morbi ægrotantibus crebra est cupiditas, alvum sella pertusa sine fructu levare. Æger cum spe levamen obtinendi, situm ejus perpetuo mutat, e lecto surgit, nunc sedit, nunc cubiculum perambulat, iterum lectum petit, frustraque somnum invitat. Motu tandem intestinorum inverso, stercus ipsum evomitur; medicamenta etiam in ano immissa ad dejectionem eliciendum ore nonnunquam traduntur.

Omnia symptomata graviora fiunt, et æger vix onus stragulorum supra abdomen tolerare potest; singultus multo magis molestus evenit, extremitates frigescunt; sudore frigido facies et manus irrorantur. Vultus peculiarem aspectum induit. Ex hac conditione molestissima æger subito solamen accepit. Alvus adhuc astricta, solvitur,

et ipse ejusque amici spem salutis habent, sed medicus peritus his signis fallacibus non fefellitur; quia illi cognitum bene est, illa mortis prænuntia præcedere. Mens aliquando usque ad extremum spiritum integritate pollet, et homo vix unquam delirat, quod hoc malum ab ventriculo inflammato bene dijudicat.

His notis enteritis phlegmonodea distinguitur; sed constat hanc inflammationem subinde totum decursum explere, et in gangrænam ruere, fere sine ullis ex jam memoratis signis supervenientibus, in hoc casu quidem æger solicitudine et mœrore, potius quam dolore, aliisque inflammationis activæ symptomatibus afficitur.

DE MORBI TERMINATIONIBUS.

Hæc inflammatio easdem terminationes habet, ac aliarum partium corporis, scilicet Resolutionem, Suppurationem, Gangrænam, et Schirrum.

Resolutio.—Ex omnibus terminationibus hæc maxime optanda est, quæ interdum sua sponte, sed raro accidit; quod tamen medicus prudens

nunquam expectabit. Plurimi enim intra horas triginta morte erepti sunt, quam celerrime igitur remedia potentissima adhibeantur.

Si remediis resolutio efficitur signa sequentia existunt. Postquam vomitus quiescere cœpit; alvus purgantibus et enematis solvitur; dolores violenti minus crebri et severi evadunt; singula symptomata non pyrexiæ solum, sed etiam totius morbi mitigantur; cutis leni sudore defluit; vultus magis naturalis fit; et æger in positu erecto sedere, et pressuram abdominis sine molestia tolerare potest; si cum omnibus signis supra ennumeratis cibi desiderium viresque renovantur, exitum faustum jure expectamus.

Suppuratio.—Si morbus ad diem octavum vel decimum, contra omnes conatus nostros protrahitur, et hæc secum symptomata affert, suppurationem aggressam esse judicamus; doloris aliqua allevatione; sensu gravitatis, et magna anxietate circiter præcordia comitata; pallore et rubore faciei vicissim redeuntibus; corporis crebris rigoribus, arteriarum pleniore et molliore ictu; urina sedimentum furfuraceo-lateritium deponente; et puris cum fæcibus evacuatione, dum

sudores nocturni et alia febris hecticæ symptomata ægrum torquent.

Gangræna.—Symptomata non declinata, sed præcipue molestiora facta, rationem satis amplam præbent gangrænam expectandi consecuturam; hujus infelicis eventus primum quod timores nostros signum suscitat, et quod ægrum ipsum anxiosque amicos spe valetudinis tam sæpe decipit, subita est remissio doloris, gelidique per totum corpus sudoris eruptio; abdomen magis tumet, sed tactui non dolens, percussum obscurum tympani sonum edit; vires jam dilabuntur; pulsus arteriarum debilissimi, abnormes, et ita crebri, ut vix numerari possint; æger suspirat; singultus supervenit, et sensus in præcordiis anxietatis auctus est; vox imbecilla et mutata; musculi sphincteres nominati relaxantur; urina et stercus citra mentis imperium effluunt; extremorum musculi contractionibus irregularibus agitantur; fœtor immanis ex toto corpore effunditur; vultus pallens et luridus, faciem Hippocraticam assumit; extremitates frigidi fiunt; aspectus totus demum vere cadaverosus evadit, et mors scenam tragicam claudit. Hæc terminatio multo frequentior aliis accidit.

Schirrus.—Hic finis parcissima signa quibus detegi potest, indicat, hunc finem accessisse suspicamur, si morbus diu perstitit, et ad alias terminationes nullam proclivitatem exhibet, et paroxysmi colicæ repetiti revertunt, vel ubi fixus et constans intestinorum dolor, cum cibi concoctione prava adest; et præsertim si fæces magnitudinis parvæ, cum figura peculiari, præsentiam stricturæ denotante, excernuntur. Hæc mala sæpe diu perstant, sed tandem ad exitum funestum tendunt.

QUÆ SECTO CADAVERE PATEFIUNT.

Dissectiones cadaverum eorum qui ab enteritide obierunt varios aspectus monstrant, scilicet, intestinorum plus minusve, aut parietibus abdominis internis, aut visceribus, aut alia aliis adhæsiones; intestina flatu, fæcibus induratis, et sanguine, sero vel pure, inter ea effusis distendi solent, ex quibus odor pessimus emittitur.

Peritoneum pene ubique præter solitum rubet, hic illic livore fœdatur; et aliquando lamina lymphæ coagulabilis obducitur. Gangræna nonnunquam late patet, alio tempore exigua pars

tantum intestini sphacelo afficitur; hernia intussusceptio, volvulusque sæpe occurrunt; canalis variæ partes contractæ ita ut fæces supra stricturam retinerent; quibusdam in exemplis diversa viscera schirro affecta fuisse; necnon exulceratione, et quidem stercus ex intestino dirupto in cavitatem peritonei effunderi compertum fuit.

RATIO SYMPTOMATUM.

Dolor.—Intestina sana sensu carent, sed inflammata sensum acutissimum habent; hinc dolor pungens, et ob motum intestinorum peristalticum circa umbilicum torquet. Satis manifestum est, quare pressura, tussi, vel corpore erecto dolor auctus est: a sede doloris partem inflammatum possumus prædicere.

Vomitus.—Ex irritatione ventriculi, vomitus assiduus et vehemens, morbum in intestinis tenuibus, et vice versa in crassis notat; violentior vel mitior in casibus diversis est.

De Alvo.—Alvus veresimile astricta fit a statu morbido intestinorum, unde actio et excre-

tiones imminutæ sunt, vel quod sanguis ad extimæ et nervosæ membranæ arterias potissimum impellitur ; ideoque intima minus æquo succi excernit, aliquando tamen diarrhœa adest. Doctor GREGORY casum narrat in quo diarrhœa vehemens adfuit.

Singultus.—Hæc signa sæpius ægrum vexant, quia ad peritoneum quo velatur septum transversum pertinet ; nec mirandum est, ut vires dilaberentur et omnes corporis functiones perturbarentur, intestinis male se habentibus quoniam illa cum cerebro et aliis partibus consensu intimo sociantur.

DE CAUSIS.

GENERA causarum duo sunt, scilicet, quæ corpus ad aliquem morbum propensius reddunt et quæ ipsum excitant ; de quarum singulis oratione brevi disputabo.

De Prædisponentibus.—Quicquid alvum tardet huc jure referri videtur ; hinc provecti ætate huic magis obnoxii sunt, quia in illis alvus tar-

dior est, nulli tamen ætati parcit, ut supra memoravi, dummodo causæ excitantes adhibeantur.

Illi corporis habitu plethorico, et diathesi phlogistica præditi, liquoribus spirituosis addicti; sedentarii; et ut nonnulli volunt rigidiorem et duriorem fibram habentes, sæpe hoc morbo vexantur; præcedens quoque aggressus morbi præcipue, si in schirrum desierit, ad ejus recursum hominem proclivem reddit.

De Excitantibus.—Paulo plenius causæ excitantes inquirendæ sunt, et multo magis valent; nimirum, constipatio per seipsum occurrens, vel cum colica conjuncta; venena acria mineralia, ut oxida et sales hydrargyri, arsenici, plumbi vel cupri, medicamenta fortiora sumpta ad alvum dejiciendam, veluti elaterium, jalapa, colocynthis, scammonium, et gambogia, sunt inter potentissima ex his; injuriæ mechanicæ ventris et aëre accedente; tumores mesenterii et ejus glandularum; intestinorum a volvulo et hernia strangulatio; vehemens in parturientibus irritatio; post lithotomiæ operationem.

Alcohol ab imperitis persæpe hoc cruciatis conceditur, ad colicam arcendam, quo errore multi perierunt, qui rite curati convaluissent; ingesta

nimis dura, præsertim acres, et vix concoquendi cibi, atque etiam liquores meraciores; subitæ tempestatis mutationes; frigus corpori calido admotum; vermes; inflammationis arthriticæ aut rheumaticæ metastasis; calculi intestino inhærentes; nec dubitari potest quin sordes acris in ipse intestino genita frequenter id inflammaverit; sed præ omnibus causæ longe frequentiores sunt intestinorum obstructiones, colica, et frigus abdomini, aut pedibus maxime corpore jam incalescente vel sudante illatum.

Frigus, non modo ut valentior causa excitans, sed etiam ob consensum mirum quo partes internæ cum cute committuntur, proclivitatem daret, eoque alvum astrictam, colicam, inflammationem inducit; hæ omnes inter causas excitantes numerari possunt.

DE DIAGNOSI.

Non semper facile est enteritidem a colica internoscere, et cum nullo morborum intestinorum potius aut sæpius confunditur; nihilominus magni momenti est, ut medicus clare discernat, quia eadem remedia minime utrique conveniunt.

In colica tamen raro, si unquam, febris adest, pulsus tardus, plenus, et mollis est, dolor manu premente lenitur, non gravis est virium depressio, musculi abdominis versus spinam, et in globos quasi contrahuntur, missionem sanguinis rarius minusque sæpe exigit, sed enteritide laborans copiosa sanguinis detractione solum morte erripi potest; si cui vero dubitationis adhuc locus sit, melius et tutius erit perinde curare morbum quasi enteritis profecto esset.

In peritonitide venter ubique æqualiter dolet, et præsertim corpore porrecto, alvus minus astricta; dolor magis pressura augetur, vomitus minus urget, vires non adeo prosternuntur, quinetiam mulieres edito jam partu præçipue eo malo conflictantur.

Dolor in ventriculo ipso, non circa umbilicum torquens, pressu auctus et excrucians, vomitus vehemens et perpetuus, præsertim cum aliquid devoratur protinus rejicitur, sitis insatiabilis, satis gastritidem designant, cui demum ventriculus inflammatur, ejus mens fere delirat. Hepatitidem sede doloris in hypochondrio dextro, ad claviculam et summum dextri humeri tendentis, decubitu difficili in latus sinistrum, et interdum cute, oculisque urina flaventibus distinguimus.

Ab nephritide dolore in regione renum existente, et ureteris cursum sequente, testis retractione, cruris torpore, et urinæ mictione frequenti, facile dignoscitur. Ab omnibus aliis autem historia morbi præcedente potissimum dijudicetur.

DE PROGNOSI.

Prognosis specialis ex signis faustis vel infaustis concurrentibus sumenda est. Si indicia leviora fuerint, et idoneis remediis administratis cito cessare, et arteriæ mollius, tardius, et simul valide micare cœperint, puris alvi dejectionibus evacuatio, signis suppurationis prægressis, sudoris lenis et calidi in loco gelidi et viscidi eruptio, secretiones restitutæ, lingua fiat magis humida et munda, nausea paccata, et cibi appetitus revertens; actione intestinorum sana simul sensimque renovata, atque febris hectica desinens exitum faustum prædicere sinent.

Contra præsagium infaustum oportet esse, si morbus per plures dies ingravescens perstiterit, si humor suppuratione invadente in ventrem aut pectus fluxerit, et infelix simul febre hectica marcet, et vomitus præter naturam violenti au-

geantur; is quoque moriturus est, cui evomitur stercus, aut quicquid ad alvum ducendam in imum intestinum injicitur.

Si signa gangrænæ superveniunt prænuncia mortis certissima sunt. Si hæc inflammatio in schirrum abierit, felicem eventum vix augurari licebit, quia e schirro intestinorum mala quam plurima atque lethalia originem ducunt; æger enim tabe, aut inedia confectus, serius ocyusve ad fatum properat.

DE MEDENDI RATIONE.

In hujusce morbi curatione indicationes sequentes sunt potissimum observandæ, scilicet, inflammationem subigere, obstipationem amovere, alia signa urgentia sedare, et malis cedentibus sanitatem ægri renovare.

Causæ investigatio maximi momenti est, nam in multis casibus causas removendo inflammationem minuimus; sed remedia quæ inflammationem auferunt adhiberi semper debent; et præ omnibus sanguinis detractio copiosa et libera, secundum ægroti constitutionem, ætatem, habitumque corporis maxime pollet.

Ubi æger juvenis sit, habitu plethorico prædi-tus, venæsectio large et audaciter adhibenda est; motus arteriarum exilis, et vires resolutæ minime terrere debent, quo minus venas et totum corpus depleamus; multi sane ob istum pessimum errorem perierunt. In enteritide ad naturam mali plusquam ad pulsus statum respicere oportet; bene autem notum est, pulsum sub sanguinis detractione tardiorem, plenioremque fieri; et si quantitas emissa magna est, sæpe remissionem omnium symptomatum succedere videmus. Sanguis abstrahi ex orificio magno debet, et fluere donec æger levamen sensit, vel deliquium animi instare apparet.

Si postea signa pro tempore levantur, et denuo ingravescunt, vena iterum incidenda est; et quod ad sanguinis quantitatem attinet e signorum violentia, et præcipue pulsus conditione innotescere potest; non ullam attentionem tribuere decet, quamvis sanguis tunicam coriaceam albam non ostenderet, quæ per primos dies morbi sæpe non se exhibet, et in casibus quibusdam non omnino apparet. Venas quoque parti dolenti proximas curcubitulis cruentis, vel hirudinibus, vacuefacere sæpe proficit; sed multi medici cucur-

bitulas damnant, quia gravem dolorem excitant.

His peractis tepidarium, et omnia relaxationem quæ efficiunt, veluti, fotus, levatio tepida pedum et crurum tentari debent, ut semper huic morbo valde profuerunt; dolor et spasmi multum leniuntur, ventrem pannis laneis aqua calida malefactis fovendo, dummodo æger ferre potest.

Olim sæpe monuerunt ægrum in olei calidi balneum descendere, vel ejus abdomen oleo bene perfricare; aut animalia jam occisa, vel eorum pelles tepore vitali nondum amisso ventri imponere consuerunt; veteribus enim visum est, calorem animalium aliunde genito præstitisse. Hæc remedia postquam experti fuimus epispastica partibus dolentibus applicata sunt, fereque levamen præbent; vesicatoria sæpissime proximam alvi depositionis causam esse videntur spasmum resolvendo, hinc dejectiones frustra aliis omnibus tentatis crebro efficiuntur.

Alvus nunc solvenda est, purgantibus et clysmatis; usu catharticorum in hoc morbo memoria semper tenendum est, purgantia acriora causas irritationis novas procul dubio evasura, si evacuationes non comparent. De purgantia adhi-

bendo in enteritide bene scripsit Doctor THOMAS, "it is indeed too much the custom to "have recourse to active purgatives at the commencement of Enteritis, and this too in very "considerable doses, a practice which cannot "fail to prove highly prejudicial."

Sed antea per medicamenta leniora alvus solicitari debet, quam ad acriora confugitur. Oleum ricini mite quanquam, et alvum cito movens, ægrum tamen ad vomitum impellere potest; sed si ventriculus irritabilior oleum supra dictum fastidiat, idem aqua menthæ piperitæ mistum potare præstabit; sales medii, ut supertartris potassæ, sulphas magnesiæ, phospas sodæ, et similes probe diluti et partitis vicibus sæpe iteratis, adhibiti, ubi non rejiciuntur, maxime præstant; infusio tamarindi Indici cum cassia senna, est eximium remedium, ac melius in stomacho retinetur.

Si medicinæ hujusmodi acriter admotæ minus opitulantur fortioribus innitendum erit: Qualia sunt pulvis radicis jalapæ compositus, pilulæ aloes cum colocynthide, et submurias hydrargyri, qui plurimum prodesse reperitur, præcipue sub forma pilularum, hoc enim præstat, quod non, ut reliquorum multa ventriculum irri-

tat. Haud parvum impedimentum quod ad alvi purgantium usum, a ventriculo adeo irritabili crebro provenit. In talibus exemplis opium hisce medicamentis junctum sæpe vomitum sedat; sed semper caute utendum est, nam alvum magis astringat, si nimis libere adhibeatur.

Enemata insignis beneficii remedia sunt, et in omnibus casibus cum maxima cura applicari debent. Ad hoc propositum exsequendum, jusculum bovinum vel solum, vel cum salibus mediis, et infusio sennæ cum iisdem, bene conveniunt; singulis duabus aut tribus horis injiciantur. Enemata stimulantia ut terebinthinæ, nicotianæ tabaci, olim usurpata, nunc propter effectus irritantes in intestina et stomachum, incitantes nauseam et vomitum, quæ potissimum in hoc morbo ægrotantes vexant, et præterea vires insigniter sedant, minus hodie adhibentur; casibus importunis attamen tentari possunt.

Interdum ubi alvus pertinaciter pluribus auxiliis obnititur, nonnulli aquam tepidam paulo largius per alvum injici præcipiunt; quod uon semper tuto fit, intestinum rectum enim ea vehementius immissa dirumpi potest, aut valvula coli renitendi impotente, aqua intestina tenuiora et ventriculum illapsa evomitur. Libræ hujus

quatuor vel quinque tuto et utiliter ministrantur; hoc modo stercoris exitus duri, atque flatus, facilior evadit; insuper aquæ calor et humiditas spasmum relaxando, tum dolores leniendo maxime prosunt. Hæc omnia quum ad alvum solvendam non valuerint, sequitur ut æger molem amplum argenti vivi devoraret, non quod spes ejus usui affulget, sed quod medici est, nihil quantulumcunque esse videatur prætermittere; et quamdiu æger spirat spes est. Celare simul non oportet argentum vivum auxilio ancipiti esse.

Interdum ventrem cito permeat, et prorsus iners excernitur, alias saliva os implet, gingivas exulcerat, et alvum quam acerrime affundit. In quatuor casibus quibus Doctor Gregory ejus periculum fecit, usque ad duas vel tres libras adhibitum fuit, in duobus tantum resistentiam superare poterat; conjicio igitur hoc nisi homo sit in præcipiti multo rectius omitti. Denique aqua frigida artubus inferioribus subito affusa, alvi solutionem aliquando molitur; certe asperum remedium, morbus autem contra quem contendimus multo magis molestus est, sed non nisi solitis auxiliis infauste datis hoc tentandum est. Si ex hernia strangulata morbus nascetur, intestinum, aut

manu aut scalpello auxiliante reducendum est, priusquam morbi sanationem sperare possumus.

Symptomata urgentia removendo opium haud dubie medicamentum optimum est; sed morbo inuente illud, et quicquid stimulat aut alvum magis astringat, sedulo evitari oportet, vomitum consopiet haustus confectus ex subcarbonate potassæ aut sodæ et acido citrico, jam effervescens sumptus; si hoc minus prosit, granum unum si concretum ingeritur sæpe valet, quod si hoc quoque spem ludit liquor opio imbutus, in intestinum imum injiciendus haud raro vomitum tollit. Inflammatione conquiescente, vomitu et torminibus sævis solum manentibus, opium aut succus hyoscyami nigri spissatus, maxime valet, præcipue cum submuriatis hydrargyri idoneis quantitatibus commistus; eodem spectabit partem dolentem tepefacere, et frigus simul studio summo fugere oportet. Morbo durante dieta liquida et parca debet esse, constare e pulmentis, vel jusculis tenuioribus oportet; potus aut serum lactis, aut panis tosti infusum sit.

Dum vires ægri restituere conamur, multa cautione opus est, ne substantias nimis stimulantes

vel acres adhibeamus; cibo levissimo, qualis jusculo, lacte, et frugibus uti debet. Inter convalescendum sensim et passu lentiore cibum magis opimum ingerere licebit, et paululum vini dilutioris juvabit. Exercitatio modica quotidie; si cœli ratio sinat, balneum frigidum, post quod corpus panno fricetur; omnia secernenda et excernenda elicere; et corpus e cælo frigido, tegendo abdomen panno laneo duplicato bene defendere permagni intererit; et quoque causas remotas evitare, præcipue eam quæ malum primo induxisse comperitur.

Quum suppuratio interna supervenit, nil fere fieri potest, nisi irritationem omnem evitando, hecticam moderando, opiumque et alia astringentia adhibendo, si alvus præter modum fluit; natura nonnunquam sanationem efficit, et pus cum stercore dejicitur. Si in schirro morbus terminet, purgantium, aquarum mineralium, et mercurialium cursibus, conio maculato, solutione arsenitis potassæ, et aliis ejusmodi remediis opus fuerit.

Symptomata quoniam in enteritide erythematica leniora et diversa sunt; remediis potentibus supra dictis non opus erit; diluentia mitia ad

acria ingesta diluenda, balneum tepidum, si sensus ardoris et pyrexia ingravescerent, mittatur sanguis, nisi æger a febre convalescat, viresque multum prostratæ vetant, ut convalescentibus sæpissime accidere solet.

FINIS.